

Correspondenzen des Königs und Kaisers Ferdinand I

in kirchlichen Angelegenheiten aus der Zeit von 1546—1559.

Mitgetheilt von Sebastian Brunner.

(Fortsetzung zu Jahrgang V. Heft 4, S. 457—463.)

- IX. Baron Turry, der Gesandte des Kaisers Ferdinand beim Conclave in Rom, berichtet über seine Reise nach Rom und die im Allgemeinen dem Kaiser freundliche Gesinnung der Cardinäle; er spricht die Hoffnung aus, dass der neue Papst dem Kaiser geneigt sein werde. Zugleich stellt er das Ansuchen, der Kaiser wolle gleich nach der Papstwahl einen anderen Gesandten nach Rom senden, damit er auf seinen Posten in Venedig zurückkehren könne. Zum Schlusse spricht er sich sehr anerkennend über das Verhalten des Cardinals Madruzz aus.

Invictissime Caesar Semper Auguste

Domine Domine Clementissime.

Nuntio de pontificis morte accepto, circiter horam quartam noctis, quae diem lunae praecessit, qui fuit vigesimus primus Augusti, datis literis de eadem re ad Maiestatem Vestram Caesaream, compositisque aliquantulum rebus meis, acceptaque licentia ab Illustrissimo Venetiarum Senatu eodem die lunae circa horam vigesimam quartam navim ascendi, eo scilicet animo ut Pesarum usque mari pervenirem, fossa autem Claudia transgressa, quae ab urbe Venetiarum viginti milliaribus distat, itineri suscepto insistendo a vento, contrariisque fluctibus reiectus, retrocedere coactus fui Fornacibusque appuli, qui locus a fossa Claudia quindecim milliaribus abest, Cumque ventum subcreescere, magisque semper mare fervere viderem, dimissa navigatione, Terrestri itineri me dedi, citatusque Equis haud progredi destili diu noctuque, quantum mihi per alios progredi licuit, praecedebant nempe multi, inter quos Cardinalis Ferrariensis, et quidam Comites, a quibus equi praeoccupabantur, unde mihi aliquid morae illatum est, quoad ad Castrum novum perveni, quod duodecim milliaribus distat ab Urbe Roma, ibique subsistendum censei, dum de adventu meo Reverendissimum Pacieccum, certiore facerem, accepto autem literarum mearum responso, statim Romam adcurri, eademque die, qua Romam perveni, quae fuit XXVIII. Augusti, Reverendissimum Pacieccum conveni, quocum iuxta Commissionem Maiestatis Vestrae tractanda, agendaque communicavi, qui ut in instructione Maiestatis Vestrae comprehensa sequi deberem, mihi respondit, neque me aliquo modo errare posse, ea sequendo affirmavit; Postea ad Reverendissimum Moronum, qui ante adventum meum ab omnibus Cardinalibus e Castro Sancti Angeli ubi custodiebatur, eductus fuerat, post mortem tamen Pontificis, me contuli, redditis literis summopere ei gratulatus sum nomine Caesareae Maiestatis Vestrae, de liberatione sua, Maiestatique Vestrae nihil hoc gratius, optatiusque occidere

potuisse ostendi, quodque in mandatis haberem, tractandi de liberatione sua cum Sacro Collegio narraui, qui Maiestati Vestrae gratias egit. de summo in se studio, et amore, seque semper rogaturum Deum Optimum Maximum ut dirigeret mentem suam puram et sinceram ad electionem novi Pontificis faciendam, affirmavit, et laudem in omnibus rebus se promptissimum, paratissimumque ostendit. Qui etiam Consilio me iuvit quemadmodum me regere deberem, Caeteris autem Cardinalibus litterae Maiestatis Vestrae per me redditae fuerunt maiori ex parte, à quibus omnibus uno ore gratiae actae sunt Maiestati Vestrae de tam pia, tamque Christiana admonitione, inter quos multos reperi, qui Maiestatem Vestram maximo prosequuntur amore, et affectione, quique obstinationem praedefuncti Pontificis contra Maiestatem Vestram sibi summopere displicuisse affirmarunt, Dumque haec agerem, supervenit Cardinalis Tridentinus, cui negotium narraui, utque mihi circa hanc rem, quid ipse sentiret, ostendere vellet rogavi, qui miratus est quod Romam tam parvo cum Comitatu venissem, adsunt namque mecum decem, ultra quos tres alios hic accepi, cui me excusavi, quod huc veneram citatis equis, et ut hic tantum usque ad Pontificis creationem permanerem, hoc autem dimisso sermone mihi consilium dedit, quod statim audientiam petere deberem, quam ego opinionem cum Reverendissimo Paciecco et Morono communicavi, quos ejus esse opinionis reperi. Itaque cum literis novissimis, quas attulit nuntius a Maiestate Vestra missus ex Monaco oppido sub die XXV Augusti, die Sabbathi praeterito, qui fuit secundus Septembris instantis, Comitatus nobilibus Curiae ipsius Tridentini, nonnullisque aliis in Cardinalium congregationem veni, impetrataque per Tridentinum Cardinalem audientia Reverendissimis Cardinalibus omnia quae per Maiestatem Vestram mihi iniuncta fuerunt, narraui, et ut melius ipsis sincere, et bona meus Maiestatis vestrae constaret, comprehensis etiam in scriptura quadam quae in instructione Maiestatis Vestrae continentur, in scriptis obtuli, a quibus mihi responsum fuit, egregium, piumque studium Maiestatis Vestrae erga Apostolicam Ecclesiam omnibus summopere gratum esse, quapropter se totis viribus conaturos, ut talis Pontifex eligatur, qualem iuxta admonitionem Maiestatis Vestrae tempora haec, religioque in tot opiniones disserpta requirunt: Ego Invictissime Caesar, cum Tridentino, Morono, Pacieccoque Cardinalibus egeram, ut responsum à Sacro Collegio mihi dandum in scriptis compum henderetur, ut iura Caesareae Maiestatis Vestrae per Collegi de comprobarentur, sed postea intellexi quod Reverendissimus-Carpi dixit minime se credere Sacrum Collegium in scriptis responsum, nam hoc esse praeter consuetudinem, iuductumque esse, ut omnibus legatis oretenus tantum respondeatur, se tamen tamquam decani vices gerentem effecturum, ut ego tamquam

Caesaris legatus describerer in polliza, et quod tamquam Caesaris legatus ad custodiam Conclavis vocarer. Quare Invictissime Caesar cum in Cardinalium Congregatione ut Caesaris legatus admissus fuerim, audientiamque impetraverim, eo maxime si per Carpum dicta praestabuntur. Credo Maiestatem Vestram ut Caesarem a collegio isto espresse admissum, adeo quod venturo Pontifici nullae partes circa admissionem hanc remaneant. Futurum autem Pontificem communiter credunt aut Carpum, aut Puthem, aut Medicem, aut Moronum, qui omnes sunt in summo praedica-mento; Ex istis autem qualiscumque eligetur, habebit Maiestas Vestra sibi Pontificem admodum devotum, sicut ex verbis ipsorum percipere potui. Reliquum est, ut supplicem Maiestati Vestrae, ut quam primum deliberet de aliquo oratore in hanc Civitatem mittendo; Credo namque Maiestatem Vestram collegio hoc, Pontificeque futuro omnia iuxta consequuturam esse, poterit etiam Maiestas Vestra posteaquam nunc temporis Aquileiae Patriarcatus, Canonicatusque omnes conferuntur tantum in subditos Venetos, iniungere legato futuro ut hic sollicitet quod subditis Maiestatis Vestrae tantum distribuantur, prout Veneti observant, nam beneficia quae sub illorum ditone existunt, in subditos suos tantum conferuntur, quod per Maiestatem Vestram a Pontifice futuro obtinendum esset, vel ex propria auctoritate prohibent beneficiorum possessorium nisi subditis suis dari, non tantum de Aquileiae patriarchatu, Cannonicatusque quam de caeteris beneficiis, Abbatiaque Rosaciensi, quae à Comitibus Goritiae fundata fuit. Scripturae autem ad materiam hanc pertinentes penes Viennense regimen reperiuntur, super quibus poterit Consultum fieri, et hoc pro muneris mei officio Maiestatem Vestram admonere volui. Creato autem Pontifice Maiestatem Vestram humillime rogo, ut alium Oratorem huc mittat, ad hoc ut Venetias me transferre possim ad legationis meae munus, sunt enim Venetiis multa magni momenti expedienda. Tabellarium, quem misit Maiestas Vestra dimittere nolui, nisi viderem an Sacrum hoc Collegium exequi vellet ea circa admissionem, quae ipsum facturum esse à quibusdam mihi affirmatum fuit, et hodie quod Conclave ingredi debent Cardinales missae Spiritus Sancti, ubi admonitus fui, ut hora vigesima prima in Sancti Petri pallatio revertere deberem, post haec praedicta hora Vigesima prima pallatium veni, et a Reverendissimis Cardinalibus in Conclavi existentibus ante omnes legatos, quos etiam in caeteris rebus omnibus praecessi, mihi prius delatum fuit Iuramentum in forma, de diligentia adhibenda circa custodiam Conclavis. Postea hora vigesima secunda omnes Cardinales in Conclave conclusi sunt. De Tridentini Cardinalis studio, diligentiaque, quibus usus est in omnibus rebus Maiestatis Vestrae adiuvandis, haud mihi praetermittendum est, nam et multa ab eo cognovi, semperque nobiles ipsius Comitatus fui

cum in Cardinalium Congregationem venirem, et tandem ipsum optimum procuratorem in rebus Maiestatis Vestrae fovendis inveni, Quare censerem ut Maiestas Vestra aut ad ipsum aut ad me scribendo de studio suo diligentiaque erga res Maiestatis Vestrae adhibitis mentionem aliquam faceret, ut appareat me de rebus istis Maiestatem Vestram admonuisse, Cui me humillime commendo.

Datum Romae V. Septembris MDLVIII.

Maiestatis Vestrae Caesareae

Humillimus ac devotus servus

Franciscus de Turry

Barro.

a tergo: Sacratissimo et Invictissimo Ferdinando Caesari semper Augusto, Domino, Domino Clementissimo.

X. Kaiser Ferdinand spricht dem Cardinal seinen Dank für sein Verhalten in Rom aus und versichert ihn seiner kaiserlichen Huld. Im P. S. bezeichnet er ein mitfolgendes Schreiben als von seinem Sohne, Erzherzog Ferdinand herrührend.

Cardinali Tridentino.

Ferdinandus etc. Reverendissimo etc.

Intelleximus non solum ex litteris Paternitatis Vestrae Reverendissimae die V praesentis datis quibus nimirum respondit ad eas quas accepit a Consiliario et Oratore nostro nobili, fideli nobis dilecto Francisco libero barone de Turri, verum etiam ex eiusdem Oratoris nostri epistola, quo studio sollicitudine et integritate Paternitas Vestra Reverendissima laboraverit, quoad effecerit, ut idem Orator noster apud Sacrum illum Collegium locum suum cum dignitate et existimatione obtineret. Eaque nobis gratissima quidem acciderunt, propter rei magnitudinem, sed tamen non inexpectata, qui cum Paternitatis Vestrae Reverendissimae praeclarum in nos studium a tot annis in rebus gravissimis abunde cognitum et perspectum habeamus, facile potuimus coniciere quicquid ibi e dignitate nostra actum est in eo Paternitatis Vestrae Reverendissimae auctoritatem et praeclaram erga nos voluntatem plurimum valuisse. Itaque Paternitati Vestrae Reverendissimae eo nomine magnas gratias agimus, eique vicissim benignitatem et favorem nostrum Caesareum deferimus promptum et paratum ad omnia ea promovenda quae ad Paternitatis Vestrae Reverendissimae honorem et commodum pertinere cognoverimus, Quam etiam rectissime valere optamus.

Datum Viennae 16. Septembris 1559.

Postscripta; cum Paternitas Vestra Reverendissima Superioribus diebus dum adhuc essemus in nostra Imperiali Civitate Augusta Vindelicorum ad nos misisset litteras ad Serenissimum Principem Ferdinandum Archiducem Austriae et filium nostrum charissimum, iussimus ut quamprimum ad Dilectionem eius perferrentur, id quod factum est, Et nunc accepimus a Dilectione ejus responsum quod etiam prius quam in scriptionem recte perspexissemus per errorem resignavimus, sed non legimus quin imo nostro parvo sigillo obsignatum cum his litteris nostris ad Paternitatem Vestram Reverendissimam transmitti volumus.

Datum ut in litteris.

XI. Der Kaiser dankt M. für die schnelle Nachricht vom Tode des Papstes und legt ihm an's Herz, seinen Gesandten, Baron Turry, in Rom nach Kräften zu unterstützen.

Cardinali Tridentino.

Responsio ad notificatorias
de morte Pontificis.

Ferdinandus etc.

Accepimus literas, quas Paternitas Vestra Reverendissima per Capitaneum Wolfgangum Sell ad Nos magnis itineribus misit, quibus nimirum Nos de morte Summi Pontificis pro suo praeclaro in Nos studio certiores reddidit, quae quidem Paternitas Vestra Reverendissima Nobis rem valde gratam fecit, quod tantam diligentiam adhibuerit, ut casus iste nos non diu lateret, cum vero iam antea injunxerimus Nobili Fideli Nobis dilecto Francisco Libero Baroni de Turri nostro Consiliario, et apud Illustrissimum dominium Venetum Oratori, ut in eventum, quo Summus Pontifex ex hac vita decedat, illico Romam contendat, ibique omnia exequatur quae Imperatorum Romanorum Oratores in istiusmodi temporibus exequi debent, et soliti sint, missis illi iam dudum non modo certa agendi formula sive instructione, verum etiam literis Credentialibus ad singulos Reverendissimos Cardinales, Paternitatem Vestram Reverendissimam benevoli hortamur, ut illi in iis, quae nomine Nostro isthic Romae tanquam Caesareus Legatus agere debebit, Consilio et auxilio adesse velit, sicuti Nobis de Paternitatis Vestrae Reverendissimae constantissima in Nos voluntate plane pollicemur, id quod oblata occasione una cum caeteris Paternitatis Vestrae Reverendissimae praeclarissimis in Nos meritis Paternitati Vestrae Reverendissimae cumulatissime rependere studebimus.

Nam quod attinet ad Electionem novi Pontificis, non est, quod Paternitatem Vestram Reverendissimam officii sui admoneamus, ita namque cognita et perspecta nobis est Paternitatis Vestrae Reverendissimae pietas et animi candor, quod non dubitemus

eandem omnia sua Consilia, omnes cogitationes et conatus in eligendo novo Pontifice ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis et ad tranquillitatem utilitatem et incolumitatem afflictæ Christianitatis conversuram esse, pro qua quidem optima et eximia opera Paternitas Vestra Reverendissima a Deo optimo maximo pretiosissimam quoque ac perennem mercedem reportabit et apud Nos omnesque pios maximam gratiam et benevolentiam inibit, quæ bene et rectissime valeat.

Datum in oppido Monaco 25 Augusti 1559.

XII. Cardinal Madruz versichert den Kaiser seiner Ergebenheit und erwähnt, dass er nicht ohne Schwierigkeit dem kaiserl. Gesandten die ihm gebührende Achtung beim Conclave verschafft habe.

Sacra Caesarea et Catholica Maiestas
Domine mi Clementissime.

Exhibitæ mihi Romæ fuerunt litteræ Vestrae Sacrae Caesareae Majestatis ab eius Oratore, Quibus ego monebar, ut, in novi creatione Pontificis ea omnia, quæ ad Reipublicæ Christianæ utilitatem, Vestraeque Maiestatis servitium, pertinerent, procurarem. Quod quidem necessarium minime fuerat, quoniam pro ea, qua erga Maiestatem Vestram teneor devotione proque officii mei debito, nihil omnino prætermissem, quod ad rem suam facere cognovissem: Proinde eiusdem Oratorem, apud hoc Sacrum Collegium, locum suum cum dignitate et existimatione obtinere feci, non sine tamen difficultate, propter videlicet reliquias, opinionis iam diu male conceptæ a Pontifice nunc defuncto, quæ in pectoribus quorundam adhuc videbantur insertæ, quemadmodum ea omnia plenius ab ipsomet Oratore, eandem intellecturam existimo: Reliquum est, ut Vestra Sacra Maiestas de me omnino illud sibi polliceatur, me omni studio, cura, et vigilantia in omnibus his, quæ a re sua esse perspexero, semper fore paratissimum et attentissimum: Cujus gratiæ me quam humillime submittens devotissime commendo.

Datum Romæ die V. Septembris 1559.

C. C. Maiestatis Vestrae

Humillimus Inservitor
C. Cardinalis Tridentinus.

A tergo: Sacrae Caesareae et Catholicae ac Bohemicae Hungaricaeque Maiestati etc. Domino meo semper Clementissimo.

(Continuabitur.)